

fatius esse, si filius aliud studium eligat, & per illud ad aliud officium se præparet, caveat sibi filius, ne resistendo parentum voluntati, in peccatum contra quartum præceptum incidat. Talis casus paucis abhinc annis accidit, ubi studiosus sinceræ pietati deditus sentiebat singularem propensionem in studium Theologicum & ministerium Ecclesiasticum: Parens vero, vir prudens, studio Juridico eum destinaverat: res tandem deferrebat ad Theologum magni nominis, ejusque iudicium expetebatur, qui suadebat, ut filius parenti hoc in casu obsequium præstaret, addita ratione; *Deum cum liberis agere* mediantibus parentibus, significare voluntatem suam per parentes. Notabile est, quod addebat laudatus Theologus; piam & prudentem Jesum sæpe plus emolumentum adferre Ecclesiæ, ejusque ædificationi, quam Superintendentem, omnesque Pastores: quod implevit Deus in hoc ipso studioso, de quo sermo. Ad officium enim Consilarii admotus saluberrima ad Ecclesiæ ædificationem, & piam informationem subditorum, consilia Domino suo dedit.

§. 7. Secundum prærequisitum, idque remotius est *docilitas*, per quam non tam intelligitur aptitudo ad discendum, quam inprimis studium obsequendi illis, qui meliora docent, ne hos contemnat, & nimium ingenio suo fidat. Sæpe enim fit, ut qui præ ceteris ingenio pollent; ad discendum sint ineptissimi, quia aliorum meliora docentium consilia spernunt & nimium sibi ipsis placent: unde fit, ut sæpius parum proficiant.

§. 8. Tertium prærequisitum in futuro Ecclesiæ ministro, idque remotius est recta & bona intentio, ut qui animum applicat ad studium Theologicum & futurum Ecclesiæ ministerium, non intendat terrena & fugacia bona: ut sunt honores, divitiæ, ignavum otium, favores potentiorum, gloriolam humanam, sed solius Dei gloriam & proximi salutem.